

EXERCITIUM ACADEMICUM

De

MIRACULIS,

Quod

*Cum consensu Ampliff. Facult. Philos.  
Acad. Aboënsis,*

PRÆSIDE

*VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,*Mag. NICOLAO HASSELBOM  
Math. Prof. Ord.*Publico honorum examini modeste  
submittit*

Die 15. Decemb. 1736.

*Alumnus Regius*

JONAS BERGENHOLTZ

*Wexionia-Gothus.*

*VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo Domino*

**M. JONÆ BRUZELIO,**

*Ecclesiæ, quæ Deo colliguntur in Gungu & Hanneda Pastori longe Dignissimo, Avunculo propensissimo, benignissimo, æternum venerando, Suspiciendo,*

*S* *mibi contigeras genitor, si sanguinis auctor,  
Et tantum fueras complexus amore pater-  
verno;*

*Deberem laudes summas Tibi, Avuncule amande;*

*Sed cum qua vereo, tua sint, benefactaque plura*

*Præstiteris mihi, quam potuit pater ipse benignus,*

*Quo cumulos meriti fas est celebrare Con-  
thurno?*

*Debeo post cælum spiracula prima Parenti  
Vitalesque auras, reliquum Tibi videre*

Nam sine Te fuerat tenebris damnata  
Ithalia,  
Vitaque non felix annos toleranda per  
omnes.

Quid mihi quod reddam? num suppetis  
ulla facultas?

Nil nisi cor gratum, nisi mens Tibi tota  
dicata.

Suscipio pro multis exilia munera quæso,  
Suscipe jejunam chartam, splendore caren-  
tem,

Plurima, quæ desunt, ut solvat Rector  
Olympi,

Perpetuo supplex votiva a mente precabor.  
Det Deus! in cuius consistunt singula nutu,  
Læta senectæ fluat, cedant Tibi prospera  
cuncta,

Sine sine nube dies, rebus vigeantque se-  
cundis,

Post obitum migres ad celsa palatia Divum!  
Admodum Rever. Nominis Tui.

Cultor humillimus  
J. Bergenholtz.

Sfwer sin trogna Informators  
Herr JONAS BERGENHOLTZ  
wackra Arbete.

Jag undrar hwad på Helicon nu hörs, jag ef-  
ter frågar.  
Om de ana tiden någon fins, som UNDER fram-  
te wågar?

Af UNDER är Parnassen full, om UNDER  
talas strifs,  
Om himlens stora Underwård man säger twifsta  
drifs.

Jag undrar hwad ett UNDER är, hwad sådant  
mond' betyda,

Mig tycks at werldsens stora kropp, som tusend?  
konstwård pryda,

Ett UNDER rättlig beta må; men om de fin-  
nas fler,

Det är en saal jag ej förstår nu. derom tala  
mer.

Hwad åldren min ej hinner til, lär' detta wård  
förklara,

Hwars wittre Auctor ingen slit och möda welat  
spara,

Den saken rent at tyda ut; Ty skal och bli hans  
lön

All tack och heder, aldrasiff en Erank af Lager  
grön.

Öftrade sin fågnad

JOH. ADOLPH CLODT  
Baro



## PROOEMIUM.

### §. I.

**Q**ui totum hoc systema, naturam universam, & nexum in ea rerum omnium justo considerat modo, sapientissimi hinc manifesto elucere conditoris existentiam, potentiam & majestatem, negare non potest. Quis enim animadvertens, quam amice cuncta, certis regulis adstricta, qua maxima qua minima, in effectus harmonicos e-dendos conspirent, quantoque consensu suos ordines ubique servant, Auctorem non agnoscat, laudet, celebret? Hæc, inquam. *μεγαλειὰ τῷ Θεῷ* in genere prædicant

A

cant

cant, certoque arguunt nihil  
 eorum potuisse, sine omnipo-  
 tenti Dei manu, suo potiri ef-  
 fectu, vel unquam existere; quic-  
 quid demum fabulosa vetustas  
 crepet contradicatque, mundi  
 originem vel aliunde arces-  
 sens, vel æternitatem ipsi vin-  
 dicare allaborans. Quæ profe-  
 cto dogmata pestilentissima, a  
 quibus nec omnes recentiores  
 immunes, rationi saniori aper-  
 tissime contrariantur. Quid?  
 Quod contradictionem insuper  
 manifestam involvat, dum rebus  
 mutationi obnoxiiis, æternam  
 existendi naturam tribuunt; quū  
 omne æternum immutabile ne-  
 cessariumque esse oporteat: ut  
 alias rationes sicco præteream pe-  
 de. Hi vero naturæ idololatræ  
 stolidissimi, si miracula illa, quæ  
 jam plura, jam pauciora conti-  
 gerunt, præjudiciis, & inani  
 con-

contradicendi studio, abjectis,  
attenderent; certe testes irrefra-  
gabiles digiti altissimi, & ta-  
les omnino deprehenderent o-  
perationes & effectus, qui o-  
mnem superant eliduntque na-  
turæ vim, & consequenter ab-  
ente aliquo eminentiori non po-  
tuere non proficisci. Et hæc sunt  
de quibus loco exercitii acade-  
mici, quædam in medium pro-  
ferre proposuimus. Quæ ut B.  
L. benigne excipere velit, & mi-  
tiori perstringere censura omni  
rogamus modestia.

§ II.

**O**Riginem vocis indagare, mi-  
nus duco necessarium, &  
quodammodo supervacaneum;  
cum omnibus notissima sit atque  
intellectu facillima. In notionem  
vero miraculi adæquatam, sive  
quid per hoc vocabulum præci-  
se innuatur inquirere; majoris

est indaginis, magisque necessarium. Circa hoc negotium ita verfabimur, ut nostram breviter dicamus primum sententiam, deinde quid aliis visum sit exponamus, eorumque placita modeste examinemus. *Naturale* Philosophis in genere dicitur illud, cujus ratio in essentia & natura entis continetur; in specie vero in materialibus ita appellatur cujus ratio in essentia & natura corporum deprehenditur. Unde in propatulo est, mutationes & operationes corporum naturales eas adpellari, quæ per modum, quo vel ipsa vel partes eorum inter se junguntur, earumque qualitates, atque per regulas motus explicari possunt. Hinc haud obscure patet quomodo sensu accipi & dici debeat *supernaturale*: nempe, in genere, cujus ratio sufficiens in essentia &



natura entis non continetur; & sic conleqventer. Hujusmodi autem mutationes & operationes, quarum caussa in essentia & natura entium finitorum non invenitur, *miraculorum* nomine venire solent, non vulgari modo sententia, sed eruditorum etiam tantum non omnium calculo. Operæ sane pretium esset, ut hæc singula tufius explicarentur; verum cum ea sit disceptationis natura, uti patebit, de miraculis, ut omnis fere sit de notione ipsius vocabuli controversia: ex allatis, iustaque lance expensis, variorum hac de re sententiis, res tota in aprico posita erit. Quamobrem ut eadem duos fidelia dealbemus parietes, ad has obeundas partes nos accingimus. Miraculorum autem divisionem heic primum aptare consultum duximus, eaque in classes dispescere suas.

suas. Varie a variis dividi solent. Danhaverus miracula in *privativa*, ubi omnibus ad agendum positis requisitis effectus impeditur. Eg. ignis fornacis ardentis viros injectos non consumens; *vel positiva*, ubi viribus naturæ aliquid super inducitur ad quod naturæ virtus nunquam, pertingere potuit. Bulfingero diviso in miracula mediata & immediata placuit. Nos vero quatuor illorum classes facimus. *Primus ac supremus est gradus* miraculorum, quæ nullis causis mediantibus naturalibus fiunt aut fieri possunt, sed immediate, & ex libera Dei virtute emanant; adeoque effectus sint omnipotentia divinae singulares V. g. creatio mundi, mortuorum resuscitatio &c. *Secundus gradus est* eorum, quæ produci quidem possunt ex causis naturalibus; sed non eo

tamen

tamen modo, quo a Deo fiunt, ut repentina morborum curatio nullis admotis medicamentis. *Tertius* est, cum ex causis naturalibus proveniunt, ita tamen, ut Deus virtutem eorum ordinariam adaugeat, ac sufficientiam illis, quam natura ipsa concesserit, majorem tribuat. Ejusmodi est maris rubri exsiccatio per ventum pro transitu Israëlitarum. *Quartus vero & postremus*, quando per media naturalia fiunt, etiam ad talem effectum edendum non insveta; non tamen absque Divinæ voluntatis concursu singulari, eo quo fiunt tempore producerentur. E. g. Leones missos ad terram Canaan in coloniam devorantes.

§. III.

**H**inc ad eorum sententias, qui in diversa plane abeunt, de natura miraculorum, potissimas recen-

recensendas pergimus; cum multus foret labor, & quod curta librorum suppellex vetaret, omnium hoc in negotio adumbra re opiniones. *Primo* prodeant in scenam illi, qui pro meris naturæ effectibus habent miracula, eaqve per vim naturæ fieri autumant causasque eorum prætendunt vel stellarum influxum, vel archeum commentitium, ut Stoici, & plurimi antiqui Philosophi, vel magiam cœlestem, ut Paracellus, vel magnetem, ut Helmontius, vel alias ejusmodi chimæras, quas stulte fingunt & comminiscuntur. (*α*) Benedictus Spinosa, summæ impietatis homo, (an monstrum dicamus?) sententiam antiquiorum sepultam denuo ex orco resuscitavit. Contendit enim, (*β*) miracula nihil aliud esse quam effectus naturæ, quorum causas ignoramus; adeoq; non

non nisi relative intelligenda, respectu scilicet ad nostrum iudicium habito. Unde etiam miracula, in S. S. tradita, inter opera naturæ numerat, quæ incaptum humanum exsuperant. Cum hoc consentire videtur Pōponatius. (γ) Nec multum hinc discedere eruditis visi sunt, Hobbesius (δ) & Bernhardus Connor (ε); quamvis enim definitiones miraculorum adhibeant meliores; interim tamen in progressu, vi principiorum suorum, eadem prorsus aliter explicant. Lockius autem in operibus posthumis Spinosaë doctrinam in hoc puncto suam facit. Ad hos proxime accedunt, qui per Dei virtutem miracula quidem fieri agnoscunt, sed non nisi mediante natura; adeoque sine adjumento ejus immediate a Deo produci negant, primæque classis miracu-

racula impugnant. Nam Deum ita naturæ adstrictum esse contendunt, ut nihil sine illa efficere possit. Huc pertinent, præter alios, Franciscus Picolomineus, Cœsalpinus, Nehemias Grew in *Cosmologia sacra*, Vilh. Flet-Wod, qui librum idiomate conscripsit Anglicano, in Germanicū deinde translatum, ubi adserit omnino naturæ cursum esse adhibendum in subsidium, ad explicanda omnia, quæ unquam facta sunt miracula. Nec multum abludit Poiretus, qui, in libro, de Deo, mundo & malo, ubi præcise de potentia divina agit, materiam quandam subtilem omnium miraculorum causam comminiscitur, & dispositionem Deo duntaxat relinquit. Contēdit nempe materiæ hujus subtilis directiones, reflectiones, refractiones & occurfus, ultra ordinari-

um regimen constituta, admirationem excitare, & miracula producere. Peculiarem in his, ut in multis aliis fovet sententiam notissimus hujus ævi Theologiæ & Philosophiæ novator, seu potius turbator, Christianus Dippe- lius ( ? ) contendens miracula facta esse per vim imaginationis, & impressionem magicam. In tertia classe sunt illi, qui quidem miracula esse supernaturalia confitentur; sed in progressu & explanatione a sententia recedere videntur communi: Ex quibus nominasse sufficiat celeberrimum hujus temporis Philosophum Christianum Wolfium, qui a Buddeo & Langio notatus fuit, quasi miracula restitutionis statueret necessaria. Existimaverat in metaphysica Germanica Wolfius, §§. 633. 639. per miracula, nexum rerum omnium, & totum  
 sy-

systema mundanum mutari & turbari; adeoque naturam pristinum ordinem recuperare non posse, nisi per miracula nova. Et hanc suam sententiam illustrat similitudine ex horologio desumpta. Hoc vero dogma Buddeus & Langius tanquam minus congruum & fatali necessitati maxime indulgens, rejecerunt. (n)

(a) vid. Garmannum de miraculis, item Læscheri prænotiones Theol. (β) Tract. Theol. Polit. Cap. 6. (γ) Garm. loc. cit. (δ) Leviath. (ε) in Evang. Medic. (ζ) Dipp. Wegweiser item obser. RRF. lingua Svetica. ) n) Walch. Lex. Philosoph. pag. 21.

§. IV.

**Q**UOD ad eos itaque attinet, qui miracula per naturæ vires fieri arbitrantur, non possunt non illi omnes, naturæ supernaturalem quandam tribuere

vir-



virtutem, & per consequens Deum atque naturam, pro uno eodemque habere, cum utriusque eadem assignent attributa. Ut reliqua omnia prætereamus argumenta, quibus absurdissimum hoc dogma pro merito exceptum est: Unicum tantummodo ex materia in qua versamur, propinabimus, quo evincitur miracula naturæ esse impossibilia. ex. gr. Habet ignis, quod utique fateri necessum habent, ab ipsa natura hanc virtutem ut urat; sed factum est aliquando, ut materiam alias combustibilem non combusserit; at hoc si etiam per vim naturæ habeat, certe duplici polleret virtute, ut urat & non urat, quod contradictorium. Sublata itaque fuit ordinaria ignis vis necesse est ab *alio* nempe Deo. Quod vero concernit eos, qui Deum ita esse alligatum

naturæ ftatuunt, ut nulla miracula, nifi mediante hac ipfa, producere queat, verbo dicam: In quibusdam miraculis placuiffe Deo ad naturam fele applicare, E.g. quando aquam in vinum vertit: hoc tamen probe obfervandam, non poffe naturam eo modo & temporis fpatio, quo Deus, hunc effectum elicere. Aqua in Cana potuiffet equeidem, fecundum naturæ ductum ope caloris folaris in vite, per longum temporis fpatium mutari in vinum: fed non eo modo, extra vitem, neque tam brevi temporis fpatio, quo factum eft a Chrifto. Non itaque in hoc minus, quam aliis, fupernaturalis vis elucet. Neque exinde ftatuere licet, Deum femper necelfario naturam fequi debere, dantur enim plurima exempla miraculorum, ubi ne minimum quidem

dem naturæ commercium de-  
prehender licet.

Poiretus, quod ipsum non de-  
cuit, sibi arrogavit, dum viam  
& modum quo miracula fiunt,  
indagare voluit. Hoc cum soli  
Deo competat & notum esse  
debeat, non mirum est eum in  
deliria & somnia incidisse. Suf-  
ficit nosse, ea supernaturali vir-  
tute produci; modum autem,  
quo fiant rimari, sphæram no-  
stram, quæ intra naturæ limites  
arctè terminatur, longe trans-  
scendit. Ejusmodi vero miracu-  
lorum explicationem, quam  
nonnulli ingressi sunt, ut indi-  
cetur quodammodo, non secun-  
dum quas leges motus fiant, sed  
quibus præcipue contradicant, ut  
innoxiam non possumus impro-  
bare. Falsam vero esse hypothe-  
sin, qua conclusiones Poireti ni-  
tantur, scilicet Deum ita alliga-  
tum

tum esse naturæ, ut leges motuum semel conditas, transgredi vel mutare nequeat, per se patet; cum hoc ipsum dogma, quantum in ipso, naturæ auctorem & Dominum e throno deicere adlaboret. Dippelius, licet refutationem non mereatur, idem tamen ipsi, quod Poireto, reponi potest. Nobis maxime arridet tempestivum Celeb. Bud dei monitum, qui, postquam modum operandi in miraculis nonnullis tentaverit, ita concludit: *non id volumus, ac si hac, & non alia ratione miracula fuerint edita: Hoc enim definire velle summa esset temeritas.* Reliquorum commenta, quorum mentionem initio §. III. fecimus, quod attinet, cum & illa ipsa ad naturam pertineant, de illis idem erit iudicium.

*in §. V. vid. phil. theor. pot. V. C. II. p. 268.*

## §. V.

**A**Ntequam ulterius calamum  
 promoteamus, paucis ex-  
 ponere lubet controversiam Leib-  
 nitium inter & Clarckium, de  
*notione* miraculi motam, utpote  
 quæ maxime faciat ad eam pro-  
 be ediscendam. Intelligebat Leib-  
 nitius secundum vulgarem, &  
 philosophis receptam sententiã,  
 per miraculum ejusmodi effectũ,  
 qui omnes naturæ vires superat,  
 seu, cujus ratio ex regulis mo-  
 tuum & cursu naturæ reddi ne-  
 quit. Clarckius vero existima-  
 vit miracula in se non esse ma-  
 gis admiranda, nec magis Di-  
 vina, quam ordinaria naturæ o-  
 pera; sed ideo ab his admirabi-  
 litate distingvi, quod sint rara  
 & extraordinaria. (i) Atque sic re-  
 ferente Bulfingero (k) *l*o inusita-  
 tum postulat ad ideam miraculi  
 exprimendam: eundem namque  
 B esse

effectum vocat *naturalem*, si acci-  
 dat ordinarie, etsi divina im-  
 mediata operatione, & *miracu-  
 losum* si raro & extraordinarie,  
 etsi producat per creaturam.  
 Non diffitemur autem eruditissi-  
 mum Auctorem postea hanc su-  
 am sententiam emolliisse, cum  
 dicit non omne quidem rarum  
 & extraordinarium esse miracu-  
 lum; sed miraculum omne in-  
 volvere ideam rei raræ & extra-  
 ordinariæ. Paladium, quo pe-  
 dem figit, conspiciendum addu-  
 cam: supponit omnem motum  
 esse in Deo, non tantum in a-  
 ctu, sed in statu & continuatio-  
 ne. (λ) Unde concludit, omnem  
 motū ut Divinum effectum, ita  
 in se miraculosum esse. Sed cum  
 ordinarios & perpetuos motus  
 haud ita admiremur, ideo effectus  
 extraordinarios & raros pro mi-  
 miraculis haberi autumat. Quod  
 ad

ad hæc attinet, non diffitemur hoc vocabulum sensu latiori sumtum dici interdum, præsertim vulgo, de naturæ quibusdam arcanis, cujus causam proximam, limitata ingenii vis non semper adæqui potest, quamvis intra leges naturæ contineatur. Hujusmodi occulti phænomeni exemplum adfert Morhofius, cum certiore fecit orbem eruditum, de natura Schyphi vitrei, per certum humani vocis sonum fracti, idque descripsit peculiari dissertatione, quæ *ὑαλοκλάσης στενωρ* inscribitur, & id genus alia. Attamen, si eo modo sumatur hoc vocabulum, plurimæ utique actiones & effectus naturales dicenda essent miracula. Clarkium itaque ultra id, quod opus est, subtilem fuisse suspicamur. Inter miracula etenim & mirabilia ingens intercedit discrimen,

& sat notabile. Scilicet agnoscunt  
 phœnomena naturalia omnia  
 causas suas, & in effectum pro-  
 ducuntur, non nisi viribus na-  
 turalibus. Hæ causæ, licet ab  
 imperito vulgo, ut plurimum  
 ignorentur, ab eruditis tamen  
 multæ reddi possunt & indies  
 magis magisque in lucem pro-  
 trahuntur. Miracula vero nul-  
 las in natura rerum agnoscunt  
 causas, sed ab ipso Deo produ-  
 cuntur: quin & vires naturales  
 longissime superant, & per con-  
 sequens naturæ impossibilia sunt,  
 saltem eo tempore & eo modo,  
 quo fiunt. Hæc igitur est ratio  
 miraculorum, quam doctissimi  
 etiam ignorant, quæ ad regu-  
 las motus explicari nequaquam  
 potest; adeoque doctos pariter  
 ac indoctos in admirationem ra-  
 pit. Hinc patet, quod *lo* rarum  
 miraculi notionem confundat ma-  
 gis



gis, quam illustret, quin & aperta hoc modo iis relinquatur porta, qui aniles fabulas, & inania commenta innumera pro miraculis obtrudere orbi adlaborant, qualium benigna copia historiam imprimis Ecclesiasticam misere conspurcavit; præcipue lætissima eorum leges, infelicis instar lolii in agris Monachorum & vitis Sanctorum, efflorescit. Solidum est Buddei iudicium in Itagoge p. 1752 (*sunt æquidem miracula ne utiquam augenda, aut omnino fingenda, ubi nulla inveniuntur. Vera tamen miracula pro talibus omnino sunt habenda.* Ad raritatem præterea quod atinet, de illa, quemadmodum de existentia miraculorum, ex historiarum fide est pronuncian- dum; inde vero patet, quibusdam temporibus plura & frequentiora, aliis iterum nulla vel

rarissima contigisse miracula. Neque nostrum est, Deo omnipotenti, rerumque omnium maxime provido, modum præscribere atque numerum actionum suarum.

(i) *Coll. privat. Ryd.* §. 7. & 9. (k) *vid. Bulfing. diluc. pl.* §. 212. (l) *Ryd. loc. cit.* §. VI.

**H**inc ad novissimam in hoc negotio Volfianam nempe pergimus controversiam. In ea vero enodanda eo brevioribus nobis esse licebit, quo memoria actarum rerum est recentior. Ad objectiones imino cavillationes in Celeb. Wolfium, ob miracula restitutionis, conjectas diluendas, vel hoc ipsum sufficit; quod nec ipse, neque antesignanus ejus illustris Leibnitius eadem statuerit nisi hypothetice. Hoc ostendunt clarissima eorum verba, Sed otium nobis fecit hac in re Excellentiss. Bulfingerus  
Cosmo.

(u) cui addi debet ipsius Wolfii Cosmologia latine edita, ubi tota de miraculis doctrina latius exponitur. Sed, quæ nostra sit circa vexatissimã hanc quæstionem sententia paucis, utinam ad palatum tuum L. B. exponere licet. I:º Si certitudo aliqua de existentia miraculorum, ut appellantur, restitutionis obtinenda est: seu, quod idem est, si definiendum erit, an Deo placuerit mutationes quasdam in consuetum naturæ ordinem per miracula ita inducere, ut perpetuum & permanentem influxum in ipsum habeant; an præoptaverit Idem O. M. per omnipotentiam suam omnia, post miracula facta, ad pristinum reducere ordinem: si hoc, inquam, extra dubium ponendum, certe ad experientiam & observationes est confugiendum. II:º quæquam longe autem abest, quin  
 omni-

omnium naturæ virium & mutationum inire numerum queant mortales, curta ingeniorum vis satis demonstrat. Quamobrem III:o haud obscure apparet, quid sperandum sit de ejusmodi observationibus, & IV:o quod, ex earum defectu, nihil certi in hoc puncto concludere hominibus nobis licet. Verum, si tam assidue in divinæ majestatis gloriam, ubique terrarum eo, quam nunc temporis, invigilassent astronomicis laboribus, quo miraculum in sole ætate Josuæ contigit, tutius & verius fortan circa hanc rem non nihil pronunciare licuisset. Posito vero non fieri restitutionem, sed quod omnia postea, assumpto in medium infloxi miraculorum, suo eant ordine & cursu; non statim tamen inde consequitur mundum esse turbatum, vel a-

lium

lium omnino ab idea Dei de mundo condendo concepta. Nam cum sapientiæ divinæ inconueniens non sit asserere quod, in idea mundi creandi, sibi reseruauerit, hoc vel illo tempore, in certos atque singulares fines, opus suum extraordinario, h. e. miraculoso modo distingvere, ita ut in ordinem naturæ, quem nos observamus sine restitutione influat: cumque hæc non minus, quam reliqua naturæ opera, Deus ab æterno præviderit, ad mundum utique pertinent æque ac reliqua. Causa autem cur statis temporibus hæc ipsa ordinario cursui adduntur, querenda est non à necessitate, sed a sapientissima dispositione Divina. Prævidit namque optimus mundi stator, quod secundum ordinarium naturæ cursum iidem effectus ne-

cessa-

cessarii, eodem tempore non sequerentur. Hinc ex nostra quidem sententia, fluit: 1:o quod miracula in idea Dei, quæ est mundi vera, ad hunc mundum ordinarie pertineant; quamvis respectu nostri extra ordinem fiant. 2:o quod omnis controversia, de miraculis restitutionis, ut inutilis evanescat. 3:o quod per miracula nihil decedat de natura mundi optimi; multo minus 4:to quod ipsum turbent. Deum vero ex immensa sua sapientia ab æterno decrevisse, his operibus, gemmarum instar, opera sua, justo definitoque tempore, exornare, ut digitum eius præsentiosem agnoscerent mortales, neque Domini & creatoris sui obliviscerentur.

§. VII.

**Q**Uod ad causam miraculorū efficientem, existimaverim de

(u) *Bulfinch. dilucidat. philos. §. 222.*

de illa plene judicari posse ex iis, quæ supra leviter sunt disputata. Ne autem hanc quæstionem prorsus intactam relinqvam; paucis in eorum opinionem inquirere lubet, qui angelis etiam hanc potestatem adscribere satagunt. In eorum sunt numero, præter alios, Iohannes Clericus (v) & Poiretus. (z) Nec mirum, cum vi definitionum, quas afferunt non possunt non in hæc incidere consuetaria, ut angelis non tantum bonis, verum etiam malis, immo magis & impostoribus vim patranda miracula attribuant. Clericus namque primam inter notas, quibus dignosci debent miracula, hanc ponit, quod vires superare debent humanas; cui quin angelis satisfacere queant, dubium est nullum: quam male autem hæc ipsa venerandi senis nota

cohæreat cum secundo, quem  
 ponit, charactere, quod vires na-  
 turæ superare debeant miracula,  
 vel me non monente, manifestum  
 est. Ad hoc fastigium Angeli,  
 utpote creaturæ, vires suas ex-  
 ferere certe non possunt. Ex  
 notione autem miraculi, quam  
 ut supra dictum, amplexus est  
 Poiretus, neque ille potuit ali-  
 am interre conclusionem. Dis-  
 fertis fatetur verbis se nullam ad-  
 mittere distinctionem inter mi-  
 racula & mirabilia. Sed quam  
 incongrua & periculosa sint hæc  
 asserta, jam supra pluribus o-  
 stendimus. Ambabus largimur,  
 posse etiam angelos & bonos &  
 malos multos producere effectus,  
 qui nobis mirabiles videntur,  
 quibus naturæ concatenata vis  
 non, æque ac illis, perspecta  
 est. Quemadmodum enim do-  
 ces naturales latentes ex metal-  
 lis,



lis, herbis & aliis, eruere novit  
 Chemicus, & operationes ostendere, quæ vulgo, utpote harum rerum ignaro, miræ omnino videri queant; ita & angeli, quæ corporum naturalium vires, super id, quod homines, exploratas habent, effectus ex iis elicere possunt, quibus nos in admirationem rapimur. Ast hæc propterea non sunt miracula; cum ex causis naturalibus, nobis licet incognitis proveniant, atque intra naturæ regnum, quemadmodum cuique obvium est, terminentur. Illius rei ergo, vera apud eruditos posita sunt signa, quibus mira ejuscemodî a miraculis dignoscuntur, quæ apud Buddeum & alios videas. Non est autem adeo arduum & difficile, quemadmodum multi cavillantur, hoc ipsum discrimen; nam eunti per omnia quæ facta

cta sunt, miracula patebit, eadem, non suspendere vel immutare leges quasdam naturæ occultas & absconditas, quæ observari haut possent; sed contra leges ire vulgares & notissimas. Hoc enim cum fine & providentia summi Auctoris amice conspirat.

Prono itaque hinc alveo consequitur intra naturæ sinum, miracula suas non agnoscere causas, sed solum altissimum numen. Hoc cum solum naturam condiderit, ita etiam ejus cursum mutare, intendere vel etiam suspendere potest. Unde seneca (o) optime, si bonus sit interpres: *nullum posse tam in terram esse demissum, ut ad divina non erigatur, ac tota mente confurgat, ubi aliquod novum e caelo miraculum fulsit.* Sola infinita potentia infinitis modis vires su-

as prodit. Omnis alia vis limitata est, atque ultra terminos suos deficiens. Mediata vero, quod spectat miracula, verbo mendum est, eadem fieri non propria instrumentorum ope, sed virtute vere divina. Contradictionem namque involvit potentiam supernaturalem enti finito communicari. Sed plurimas adhuc circa hanc materiam superesse quaestiones à nobis intactas aliquis dicet, fatemur. Egitimus enim pro rerum nostrarum ingeniique habitu, non pro dignitate argumenti. Plura dederunt alii ex arvo foecundiori: spicas haec demessas aequi bonique consule. *Deo qui potest facere miracula solus, sit in aeternum Gloria.*

(v) *Biblioth. Univers. pag. 279.*

(ξ) *vid. lib. cit. (a) lib. 7. nat. Quaest. 1.*

S. D. G.

## Corrigenda.

pag. 12. lin. 17. pro RR. FS.  
lege Rev. Ep. Rydelii & Schrö-  
deri. pag. 16. lin. ult. leg parte IV.

